



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1786**

**VD18 90119355**

§. 45. Benefica Clementis XII. Sillicitudo pro populo Romano.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1740.

exagitabat turpissimam eorum nundinationem, qua præfenti ac furtivo ære fideles ad appellandum a Constitutione sollicitabant. Infamis hujus quæstus testem produxerat Episcopus Jacobum Servienum Lugdunensem, qui a Jansenistis conductus, appellationes & appellantes pecuniis coemit, ærarii Janseniani Procurator; ast propterea ad triremes damnatus, post aliquot annos suam appellationem retractavit, impiamque hanc nundinationem ipsemet fassus, detestatusque est. Pariter Laudanensis Episcopus pro ardenti suo Religionis Zelo, & reverentia erga summi Pastoris decisiones novam edidit Instructionem Pastoralem, in qua suos diæcesanos docuit, quid agendum cum iis, qui notorie Constitutioni sunt rebelles; ast Parlamentum denuo prohibuit denegare Sacramenta & Sepulturam Ecclesiasticam propter appellationem.

§. XLV.

*Benefica Clementis XII. sollicitudo pro populo Romano.*

Interim Clemens Pontifex, qui in Apostolica universæ Ecclesiæ cura consenuerat, postremis etiam vitæ suæ diebus paternæ miserationis viscera in  
sub-

subditos sibi populos effudit; cum enim ob commercium bellis interruptum, hostiles excursiones, & aeris intemperiem non modo Romæ magna pecuniarum penuria esset, sed etiam omnes conditiones Pontificiæ gravibus aliquamdiu annonæ angustiis conflictarentur, Clemens utrique malo remedium opponere statuit, & quidem ex thesauro in mole Hadriani reposito centies mille scuta, vicissim tradita proximæ restitutionis syngrapha, in egentiores distribui iussit, simulque frumentum ex ditione Ecclesiæ ad exterarum Regionem evehi severissime inhibuit; ast paterna hæc sollicitudo, quæ pauperum miserias plurimum sublevabat, avaris frumenti propolis, præcipue Æsiensibus permolesta accidit; his enim ex agrorum fertilitate privatum quæstum capere assueti, ob hoc Pontificis interdictum ad tantam temeritatem prolapsi sunt, ut hujus Provinciæ Gubernator, qui tum Romæ agebat, mox tanquam Papæ Commissarius eo contendere cogeretur, ut armorum violentia, si opus foret, seditiosum populum ad officium revocaret; Ast sedato horum tumultu, novi in ipsa alma Urbe motus oriebantur; dum enim in aliis Urbibus & pagis rei frumentariæ caritas in dies ideo excreverat, eoquod coloni ob assiduas

Rr 4

plu-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1740.

Sæc XVIII.  
A. C. 1740

pluvias agros colere haud possent, nihilque propius haberent, quam ut fame perirent: eapropter eorum ferme quadringenti Romam advolant, ac in foro, ut vocant, *Monte Cavallo* conglomerati ad primum Pontificis conspectum una omnes conclamat: *Beati Pater! da nobis panem.* Ad lugubres horum ejulatus Pontifex nec fletum nec lamenta cohibere poterat, mox ergo in famelicos hosce agrestes ingentem panis copiam ad plures dies suffecturam erogari præcepit; cum autem indies adhuc plures paternæ hujus liberalitatis fama acciti Romam accurrerent, accidit, ut saturato stomacho non nulli ex his rusticis auxilium eis latum verterent in petulantiam, ac inter necinam famem simulantes in vicinas quasque tabernas ac civium ædes involarent, viscatisque manibus, quicquid obvium haberent, diriperent: Augebatur malum & periculum sese associantibus ultimæ sortis homuncionibus, qui ad quævis audenda projecti hisce rusticis auxiliatrices ad prædam manus junxere: Eapropter Urbis Governator, ut horum licentiam cohiberet, omnem opem & operam adhibuit, cum autem parum proficeret, Pontifex pro innata sua pietate rursus in omnes hosce agrestes ingentem panis copiam, simulque pecu-

pecunias, quarum subsidio ad sua re-  
verti possent, distribui iussit.

Sæc. XVIII.

A. C. 1740.

## §. XLVI.

*Dissidium Sardiniae Regis cum Papa  
feliciter compositum.*

Per idem tempus Clemens pacis a-  
mantissimus dissensionis cum Ca-  
rolo III. Emanuele Sardiniae Rege ad-  
huc continuatae reliquias tollere, eum-  
que in gratiam revocare studuit. Eo  
fine crebras ad eum literas proni in  
concordiam animi testes dedit: His  
delinitus Rex, haud ultra sese diffici-  
lem exhibuit, imo etiam Comitem  
Riveram Romam ablegavit, ut prius  
cum Cardinalibus Corradino, & Gen-  
tilio de controversiis, quæ hucusque  
inter utramque Aulam intercessissent,  
componendis ageret. Hujus pruden-  
tia, & Pontificis benignitate res brevi  
eo deducta est, ut Sardiniae Rex Pon-  
tificem agnosceret supremum Domi-  
num Feudorum Astegianæ, S. Benigni,  
necnon Masserani, Crevalcoris, & Trig-  
liolarum, simulque milites Sabaudos,  
qui ab initio discordiarum hæc loca oc-  
cupaverant, inde dimitteret: Vicissim  
vero conventum erat, ut Pontifex e-  
voluto trimestri Regem tanquam Apo-  
stolicum Vicarium perpetuum ad re-  
genda

Rr 5

genda